

Libenti animo huic sententiae adhaerem, si purgaretur a multis fabellis in apocryphis libris enarratis, nempe sanctam puellam in illo Asceterio permanisse usque ad annum etatis quartumdecimum, educatam fuisse ad instar columbae, nutritam cibo de manu Angeli accepto, & postea desponsatam Josepho viro justo, qui per miraculum fuit designatus ejus Spouis: nam virga, quam Sanctus homo tenebat in manibus, floruit; columba, quae ex eadem exiit, super caput ejus insedit. Relictis hisce fabellis, & Praesentatione Virginis purgata ab hisce apocryphis narratiunculis, Mysterium erit Praesentatio Virginis in Templo facta a parentibus. Festum in Oriente antiquum erat: in Ecclesia Occidentali celebratum fuit saeculo decimo quarto cum Officio particulari, quod justis de causis abrogavit Pius V.

IX. Inter Mysteria Virginis illud Assumptionis merito ceteris celebrius est, ejusque solemnis dies jure decantatur ab Ecclesia uti præclara festivitas omnium Sanctorum festivitatibus incomparabilis. Est enim Mysterium sui felicissimi transitus ab hac lacrymarum valle ad patriam æternæ felicitatis.

Quod mortua fuerit Beatissima Virgo, esto Sanctus Epiphanius Har. 78. nec affirmare, nec negare audeat, tamen certissimum est illam obiisse: quia si mortuus est Authoritatem Christus in carne, quam suscepit ex Matre; non erat dispensanda a lege mortis Mater, quae Filio subministravit carnem, ut moreretur in illa.

Ignorantur circumstantiae mortis Mariæ, sicut ignorantur illæ ejusdem Nativitatis. De causa mortis nil certum: unde liberum est cuique asserere Mariam mortem subiisse, non ex mortiferis affectionibus corporis, sed ex plaga amoris, qua vulnerabatur in corde. De tempore, esto prævaleat opinio, illam obiisse anno etatis sexagesimo tertio, tamen monumenta desiderantur, ut quid certi statuantur. De loco tandem sumus in tenebris, qualis fuerit, & ubi sit mortua. Verisimile est illam obiisse Ephefii, ubi Joannes Evangelista, cui a Christo moriente commendata fuit carissima Mater,